

in dñm tuū ex toto corde tuo.
et iā tua: rex om̄ib; iurib; tuis
et tua: et proximū tuum
Dicit q̄ illi. Recte respōdic
fac iures. Ille aut̄ uolēs iusti
fieri: dix̄ ad ih̄m. Et quis est
proximus? Suspiciens aut̄ ih̄c
Deno quidam descendebat ab
in ihericho: et incidit in latro
nes. Qui etiam despoliauer̄ eum: et
impositis abierunt semiuuio
Dixit aut̄ ut sacerdos quidā
eandē uia: et uiso illo p̄teri
Sumit̄ uenta cum eēt secus
ruat̄ eum. p̄transit. Sama
anus aut̄ quidā iter faciens uenit
eum uidens eum m̄a motus ē.

Ma 397

St. Graec. in Oct. N. 103.

II 2a 168

IOACHIMI TOELEMANNI

DE OPTI^{ca}

MA FORMA

SCOLARVM

LIBER;

AD

SENATVM

DE MINEN-

SEM.



ROSTOCHII

Typis Stephani Myliandri.

Anno M. D. LXXIX.

Handwritten mark or signature in the top left corner.

JOACHIM TOLLEMANI

DE OPTICIS

MAG. FORMANI

SCOTARVM

LIBER

AD

SENECATI M.

DE MIRA

LIBER

ROSTOCKII


Typis Joachimi Tollemanni

Anno M. DC. LXXII



IOACHIMI TOELEMANNI
DE OPTIMA FORMA
SCHOLARVM LIBER;

Ad Senatum Dedinensem.

 *AEPE* mecum P. C. multumque cogitavi; inde ab eo tempore, quo primum Argentinam veni: quanam optima Scholarum forma esset: qua profici plurimum posset. Diversam enim illic à nostris scholis ingrediebar rationem discendi: quæ me ita adjuvabat; ut profectum meum, viderem quotidie. Qua de causa, identidem exoptavi: & cum viris bonis contuli: ut vel eandem in mea patria; propter loci oportunitatem: vel meliorem etiam; si quæ demonstrari fortassis posset: constitutionem Scholæ haberemus. Neque enim nos illis, hucusque inferiores fuisse negabimus: neque ipsi, tantum sibi tribuent; ut nihil sua forma formosius inveniri posse pugnarent. Quod si cui minus verum videtur; aut arroganter dictum: is quid opinetur,

netur, nonnihil perpendat: deprehendet pro-
fectò: neque à vero me aberrare: neque plus
polliceri; quàm certis iudicijs, certisq; argu-
mentis queam comprobare.

Verùm, tametsi subinde in hac cogita-
tione versatus fui: multumq; cum amicis col-
locutus: nunquam tamen adduci potui; ut
hisce in locis publicè disputarem. cum propter
ætatem meam; quæ non satis haberet autori-
tatis: tum propter multorum penè perversam
mentem; qui non tam amore veritatis tene-
rentur; quam metuerent, ne quid de magni-
ficentia sua detraheretur.

Sed pervicit nimirum, justus quidam
dolor. quòd, cum amici studium meum lon-
gius sparsissent, quam ego voluissem: non tan-
tùm de ingenio meo, censuram fieri videbam;
quam facile tulissem: Sed, quod eram veri-
tus; existimationis & fame detrimentum
queri. Mox enim plures diclitare incipiunt:
si nova ratio docendi admitteretur: corruptam
iri juventutem: turbatam pacem: deceptos
parentes. ut silere diutius non debuerim. At-
que ita quidem factum est: ut tandem quid
sentirem, aliqua ex parte profiterer. non quò
omni-

omnium ora comprimerem : quis enim posset?
Sed , ut viris bonis & doctis , animum meum
aperirem . quæ mihi sola fuit proposita meta
scribendi .

Interea verò dum ego in hoc acquievi :
vos non quievistis . Continuo enim me Scho-
la vestra Rectorem exoptastis : & ex patria
ipsa evocastis . Qua in re , cum iudicium de
me vestrum intelligerem : & divinam volun-
tatem agnoscerem : honestissimum officium
repudiare , nefas mihi esse existimavi . Etenim
si publica commoda , preferenda sunt privatis :
etiam publica munera , domesticis antepone-
mus . Publicorum autem officiorum , cum
alia honoratiora ; alia fructuosiora appare-
ant : tamen , nullum esse video : ne ipsa qui-
dem Theologia excepta : quod omni tempore
ac loco : omnibus Reipublicæ membris atque
partibus : omniq; hominum generi : majorè
emolumento sit ; quàm huiusmodi cultura se-
minariorum . Rideant licet , omnes avari at-
que sordidi : fastidiant etiam omnes ambitiosi
& inflati . nunquam profectò quisquam illo-
rum , ex omnibus studiis suis ; parem consci-
entia bonitatem acquireret : majorémve sive

A 3

Dei,

Dei, sive bonorum virorum gratiam in-
bit.

Cum igitur vobis placeret: ut scholæ no-
stræ formam aliquam, latinis literis manda-
rem: simul de perfecta forma Scholarum di-
cendum putavi. ut palàm testarer; eundem
meum cum vestro, erga juventutem, rémq;
publicam animum fuisse. & si quis sit, qui
melius quiddam habeat: ut proferat in pu-
blicum. Posteaquam enim, huic muneri
præfectus sum: omni conatu elaborandum
censui: ne quid mea negligentia intermitte-
retur: quod ad communem scholarum utilita-
tem pertineret. Et perfectum quidem tan-
tum est: ut solidum fundamentum, majorq;
pars murorum atque tecti confieri possit, in
lingua latina. Ciceronis enim materiam,
calcem, & cœmentum omne; non modò col-
lectum; verum etiam, suis in locis congluti-
natum habeo. quo semel, iterúmque percepto,
nihil in libris ejus omnibus, qui ad nostram
ætatem pervenerunt; novum atq; inauditum
esse poterit. Quanquam verò sciam, plu-
res futuros: qui hunc laborem meum impro-
babunt: et nasum nonnihil contra subducent:
tamen

tamen viri boni & intelligentes facile vident; si puritas linguarum comparanda sit: à purissimis initium fieri oportere. atque ita quidem fieri: ne discipulorum intelligentiam impediamus, confusione vocum: neq; memoriam multitudine.

Qua de causa, consideranti mihi diligenter: & memoria repetenti ea: quæ ipsemet audivi, legi, vidi: Sapientissimè dictum videri solet: optimarum artium ludos, seminaria quædam esse civitatum.

Principio enim, ut intelligentes agricolæ; cum in omni satu suo; tum præcipuè in educatione arborum: quas sero nepoti cultissimas relinquere student: in primis seminaria quædam conficiunt, quibus singularum naturas experiantur: suoq; quamq; modo præcolant. ita prudentes magistratus, ad reip. suæ conservationem; quæ posteris florentissimam obvenire cupiunt: liberales scholas constituunt: quibus juventutis suæ ingenia exquirantur: et ad suum quodque genus, rectis studiis et artibus præparetur.

Deinde, quemadmodum huiusmodi seminaria accommodare oportet, singularum arborum naturis: eadem ratione in scholis opera danda

A 4

est: ut

ut singulis civium quasi ordinibus & gradibus conueniant. Tres enim facio. Vnum eorum: qui si legere, scribere, numerare sciunt, literis & lingua materna: satis instructi veniunt; suum in Repub. officium bene exequendum. Quales sunt ii, qui in opificiis, aliisque id genus laboriosis negotiationibus, vitam omnem degere statuerunt. Secundo loco illos pono; qui quanquam in literis permanere nolint: tamen parare sibi student, facultatem aliquam linguae Latinae: quandoque etiam Graecae, & Dialecticae, Rhetoricae, Musicae. ut si in Senatum cooptentur: si in principum Regumve consilia officiaque adhibeantur: siue juris cognoscenda sit controversia: siue dicenda sententia: siue proferenda historia: siue obeunda legatio: siue quid simile faciendum: & loquantur Latine: & intelligant Graecè. Huiusmodi est maxima pars Mercatorum, virorum Nobilium, ac Potentiorum. Tertium genus illorum est; qui optimarum artium cursum continuare volunt: facultatemq; ac professionem scientiarum maximarum consecrantur. Quorum quidem, non
tantus

tantus est numerus: sed accuratior, diligentiorq; informatio.

Horum trium generum, existimo rationem talem habendam esse: ut, cui quisque studere velit, in hoc bene possit erudiri. Necessarium enim esse; ut suo quilibet modo civis literatus sit: si quis ignorabit: ab ijs quærat; qui magno malo experiuntur: neque sine dolore; quotiès coram ipsis literatorum mentio fit: vel de sua, vel parentum incuria conqueruntur. In Senatu verò; in judiciis atque foro; Deum immortalem! quantum ignoratione linguarum peccatur? quot bonis viris summa sæpe injuria insertur; sola inscitia atque imperitia iudicis? Quid? quàm jejunè! quàm ineptè! quàm turpiter! quandoque sententias suas dicunt; qui in dandis consilijs, optimorum exemplorum copia, & lectione historiarum vacant. Quid? quot viri nobiles, principes, & ditiores, destituti doctrinis & linguis; neque sibi, neque aliis cavere potuerunt ab illis; qui specie quadam eruditionis, mirificè nummos ipsorum corraserunt? Quod qui nondum videt: cum ubiq; sint exempla complurima: is nescio videbit

A 5 cæcus.

coecus. Iam tertio in genere; quot nomine
tenus. Magistri & Doctores inveniuntur:
ijq; omnium insolentissimi, & audacissimi
sunt. Rarò quippe prædoctus Theologus, li-
tem non necessariam movet. Rarò prædoctus
jurisconsultus, injustiorem causam tuetur.
Rarò prædoctus Medicus, desperati morbi cu-
ram pollicetur. Rarò prædoctus vir, impor-
tunior est & elatior, Isti verò præmaturo
fructus, qui, dum vix literarum & doctri-
narum guttulis quibusdam aspersi sunt, coe-
munt appellationem Doctorum & Magi-
strorum. isti inquam ij sunt; quorum cul-
pa, doctissimis viris sæpissimè maledici-
tur.

Denique, uti in seminariis deinceps ipsa
suscipitur: cum tollendis ijs, quæ obsunt; tum
applicandis, quæ profunt. Sic in Scholis mox
institutio inchoatur: quæ omnia illa vitabit;
quibus vel debilitatur vel corrumpitur, con-
quirat verò; quibus & generatur, & alitur,
puritas linguarum & doctrinarum. Ut
enim, ex vitioso & corrupto cibo; procreatur
corruptus & vitiosus sanguis: Similiter, ex
vitiosa doctrina, & impuris vocibus; vitiosa
& im-

Et impura enascitur ratio atque oratio: omnis seminatrix barbariei et falsitatis. Ejus rei exemplo nobis sit superior ætas Monachorum et sacrificulorum. Quanta istic tenebræ! quante sordes! et ratiocinandi et sermocinandi fuerunt? Quanquam quid de illis dico; quorum jam dudum superavimus elegantia nostra infantiam. Nihil nobis humile, nihil molle, nihil simplex placet. Graviloqui, horrisoni, sesquipedales sumus. Per paucos enim invenies; qui purum dicendi scribendique genus adamabunt: at longè plurimos numerabis; qui turbulentum et temerarium adorent. Quamobrem hujus curæ duæ partes sint. una, ut discentium animi et vita, vera religione et pietate; morumque humanitate atq; elegantia imbuantur: altera, ut similis puritas conservetur in linguis et artibus. ne quid ulla in parte existat vitiosi atq; impuri sanguinis.

Hisce ex rebus omnibus, hoc intelligitur: universi ludi constitutionem; primùm constare loco, et his qui in hoc loco sunt, studiosis literarum: tanquam corpore quodam et anima. Deinde, ut animæ duæ partes sunt;

vna

una in appetitu, altera in ratione: ita studio-
forum duo genera esse; Praeceptorum & di-
scipulorum. Postremò, ut ratio appetitum
obedientem sibi reddit; fugiendis vitis, &
exercendis virtutibus: Sic à Praeceptore di-
scipulum doctum effici; declinanda barbarie,
& aucupanda puritate linguarum ac disci-
plinarum. De quibus singulis, primum
generatim; tum speciatim, ut potero, dicam
breviter.

DE LOCO.

Locus ergo universus ita distinctus sit: ut
singuli Praeceptores, singula aedificia ha-
beant, ad docendum. Si enim uno in loco,
vel omnes, vel plures conjungantur: tan-
quam in turba ebriosorum, conclamatio quæ-
dam existit, & impedita auscultatio. Con-
trà autem; & praepetoris vox exaudiri at-
que intelligi potest ab omnibus: & discipu-
lorum pronuntiatio, à praepetore observari
& corrigi. Deinde necesse est; ut non so-
lùm natura: verùm etiam omnibus circum-
stantiis

stantiis adjuvet studiosos; sit salubris: sit apri-
cus: sit quietus: sit circumseptus: sit non lon-
gè remotus: sit ab omni perturbatione &
offensione liber: sit subsellijs & pulpitis &
tabulis ita constructus; ne lumini officiat:
ne conspectum prospectumve obscuret: ne
quas discipulis negligentibus & nequam præ-
beat latebras.

DE DISCIPV- LIS.

IN discipulis verò, duo considerare oportet:
Naturam studios idoneam; & obedienti-
am. quemadmodum in plantulis itidem duo
esse oportet: Succus integritatem; & eo in
loco cui inseruntur, pronitatem crescendi.
Natura est in ingenio, & memoria. Inge-
nium acumine quodam, & iudicio estimat-
ur. Acutum dico, qui facile & subtiliter
excogitat. Iudicio prædictum voco; qui be-
nè prudenterque considerat; ratione causa-
rum & circumstantiarum. ut, qui iudicium
habeat; idem sit acutus: qui verò acutus;
non

non sit continuò præditus iudicio. tametsi hæc
sæpe inter sese confunduntur. Qua de re,
diligens adhibendum est discrimen ingenio-
rum. Quæ enim tardiora erunt, & quodam-
modo aridiora; grauioribus studiis abstine-
bunt: & vel primo, vel secundo modo exco-
lentur. Aliàs enim, ut dici solet, oleum &
opera deperditur; quæ molliendo lapidi im-
penditur. Quibus verò floridum & fœcun-
dum est ingenium; hi omnibus modis adhor-
tandi sunt ad discendum.

Memoriæ porrò, quanquam illud divi-
num sit genus; quod cum citò addiscit; tum
diù retinet; quali fuit memoria Themistocles;
tamen, præter hoc duo studiis non inepta ge-
nera. unum quod facilimè, ut mollis cera,
recipit: facilimeque, ut eadem, remittit. al-
terum, quod sicut indurata, difficulter capit:
difficulterq; , ut eadem, extinguitur. Qui
verò, ut apud Ciceronem Curio, usq; adeò ob-
liviosus est: ut nihil, aut parum meminisse
possit: is removeatur omnino.

Obedientia denique, in reclè vivendi
proposito; diligenterq; discendi studio consistit.
quibus rebus; virtute dico, & assiduitate;

Cicero

Cicero & Demosthenes, summorum sibi Ora-
torum laudem pepererunt.

DE PRÆCE- PTORIBVS.

NVnc ad Præceptorem quod pertinet :
duabus rebus præditus erit : vitæ inte-
gritate; & regendi, docendiq; facultate. Vitæ
integritas, primùm Religionis rectitudinem
requirit; deinde factorum. undè debita reve-
rentia & autoritas, non existunt solùm, ve-
rum etiam retinentur. Quamobrem, id ma-
ximè operam dabit, ut rectè de Deo, fideique
nostræ capitibus sentiat : ut ità vivat; ne fa-
ctus exemploq; suo, discipulorum vel corrup-
pat, uel offendat animos.

Facultas autem regendi & docendi; cum
prudentiam requirunt, tum diligentiam. Ete-
nim si diligentissimus esset, sine prudentia;
sine profectu magno laboraret: &, si pruden-
tissimus esset, sine diligentia; sine labore fru-
ctum non caperet. Ac regendi quidem
prudentia, in eo est: ut voluntates sibi
omnium

omnium deuinciat; & gravitate, & humanitate quadam: ut ne quem inaudita causa cadat; aut maiorem delicto poenam irroget: ut peccandi occasiones omnes præcidat. Diligentia verò in hoc versatur: ne quid nequitiae, prudens sciensque sinat impunitum; præsertim in petulantioribus.

Docendi deinceps providentia; maximè vim & diversitatem ingeniorum distinguet: ad eamq; conservandam accommodabit omnia. generaliterque illud curabit: ne cui plagam inferat, propter ingenij memoriæve imbecillitatem: quanquam negligentiam ab imbecillitate separabit. Diligentia autem docendi, tantum poterit: ne quid vitio, & inscitia præceptoris ignoretur; sive inexpliatum. Nihil enim perniciosius est; quam psittaci more, sive res sive verba non intellecta meminisse.

DE CVSTODIBVS.

VERUM, creari etiam custodes solent: quorum est officium; observare petulantes:

lantes : notare negligentes : procurare baculos & virgas : expurgare classem : custodire supellectilem scholæ : præceptoris laborem, ubi opus est allevare : summa fide, & diligentia.

DE DISCIPLI NIS ET ARTI-

B V S.

S Equitur, ut exponam, quibus doctrinis & artibus, puerorum mentes ad veram pietatem, omnemque virtutem & humanitatem fingantur. Cujus studii, cum duæ sint partes, ut supra dixi: cujusque disciplinas & artes recensebo.

Ac religionis quidem nobis, & pietatis doctrina; superioribus annis purissima illuxit. quam si ita, uti accepimus, conservabimus: expeditissimum semper habebimus aditum in cælum. Morum autem elegantia, quanquam expolitur conversatione & familiaritate bonorum: tamen necessarium
B esse

esse arbitror: ut similis quidam de moribus,
atque de religione est, liber confiat; sermone
patrio & nostro omnibusque minimum se-
mel, quaque hebdomade prælegatur: ne quis
ignorantiae excusationem afferre possit: si
contra decorum officiumque fecisset. Atque
hæ quidem scientiæ, ad animi cibum quen-
dam pertinent: sine quibus, ne animus qui-
dem dici debet.

Sunt autem aliæ, harum quasi ministræ
& adiutrices facultatum. quarum prima so-
lum & tanquam fundamentum ponit oratio-
nis: altera rationis rectitudinem describit:
tertia utramque exornat: quarta recreat &
reficit: quinta numerat: sexta universalis
omnium hominum domicilij quantitatem
metitur: septima communis omnium tecti
coedificationem signat. Quoniam verò,
duo genera Scholarum habemus: quorum
hoc generali voce scholam; illud Academi-
am nominamus: hæ erunt artes scholarum
propriæ; cum lingua Latina, Græca, He-
bræa: dummodò tot præceptores ali poterunt:
quot institutioni sufficient. Quibus enim
in locis fieri nequit: Academiis relinquen-
dum

dum est: quicquid maturius iudicium requirit: neque publicis & domesticis in rebus, ubique semper adhibetur. At sunt scholæ aliquæ; prorsus contrario modo constitutæ: in quibus non tam linguarum, harumq; ratio artium habetur, sine quibus reliquæ stare non possunt: quàm nescio, quo consilio atque causa; vel Physicæ, vel Ethicæ, vel Theologiæ, vel alterius cuiusdam majoris scientiæ professio instituitur: ut neque scholam, neque Academiam verè liceat appellare: sed, si ita forte videtur, scholacademiam.

DE NUMERO HORARVM.

Quoniam autem in omni diuturno opere faciundo, certum tempus servatur, & inchoandi & finiendi: quandoque etiam intermissio conceditur, recreandi gratia: dicam ego quoque aliquid; de horis & feriis scholarum. Eius igitur temporis,

B 2

quo

quo nobis proprios labores efficimus; sex numerantur dies: & cujusque quinque horæ: excepto meridie Mercurii, quo feriamur.

Horarum verò convenientissimas existimo; nonam & decimam matutinas: primam, secundam, & tertiam pomeridianas. ita, ut manè octava introitus fiat; decima dimissio: à prandio reditus duodecima; tertia finis.

Licet enim hucusque paulò aliter observatum sit: usus tamen & experientia testantur: hoc per opportunum tempus esse. Nam hyeme quidem, vix ante octavam tantum dilucescit; ut sine lucerna legi posset: & post tertiam adeò noctescit; ut ante quartam candelis opus habeamus. Quibus si utamur, quantus foetor atque nidor oboriatur, & incendendo & extinguendo, omnes scimus. Accedit illud; si juniores, & penè dum infantuli, antequàm per omnia diluxent, prodeant; vel ingruentibus tenebris redeant: plerumque contingere, ut labantur: sæpeque os cutemve rumpant. Omitto dicere; quantum & sibi & impranso stomacho præceptoris

ptoris molestia excitent ; si inter discondum
vorent : quod vitari non potest : si ante octa-
vam exeant. *A*estate etiam , quamvis
aurora Musis amica sit : tamen solitariis tri-
buenda potius est , quam congregatis. Itaque
hoc aptissimum laboribus scholasticis tempus
erit.

*R*eloquorum autem officiorum nostro-
rum tempus ; quibus in templis rebusque di-
vinis persungimur ; publicum est , & cum
pluribus commune : suasque ubique designatas
horas & dies habet , quas decet observare.

*A*c generatim quidem haecenus. Nunc
quotidianum singulorum laborem circumscri-
bam nominatim.

DE CLASSE PRIMA.

Initio efficiendum est : ut literarum soni
verissime discantur : ipsaeque literae rectissi-
me formentur. Nam & lectio & scriptio,
hujus sunt loci propriae. Quamobrem , qui

B 3

huic

huic coetui præceptor præest; id primùm elaborabit: ut singulos sonos, cum Latinos, tum nostros quàm intelligentissimè proloquetur: ut cujusque literas, non solùm in libro monstraret; verum etiam manu sua eleganter præscribat.

Post ipsos pueros formare jubebit: & abs quoque appellationem singularum rogabit: ad eam quam prædixit & præscripsit figuram accommodatè idque primùm cretula fiet in tabula: deinde penna stylove in charta. Hoc modo continget; ut balbutientes & timidiores emendentur: omnesque de principio, assuesciant elegantiori literaturæ ac pronuntiationi. Tum, quia hoc in loco, sicut itidem in cæteris enitendum est; ut sequentibus classibus adaptentur: mox cognitæ literis; cum ad vocabulorum purissimorum, cujusmodi in Nomenclatorem meum ex Cicerone congesti; tum ad declinationum ac conjugationum lectionem accedendum est. quò crebra earundem vocum repetitio; imbecilliorum anticipet memoriam. Denique, quibus propositum non est, nisi nostrates discere literas: poterunt hoc præceptore, numerandi

randi scientiam consequi. Vocetur ergo hæc
classis, quia literaturæ rationem tradit, di-
stinguendi gratia, Grammatistarum.

DE CLASSE SECUNDA.

Secunda Classis illorum erit: qui vocabu-
la & declinationes atque conjugationes,
quæ in priore perlegerunt; in hac ediscant:
ut tanquam fundamentum ponant copię &
puritatis Ciceronianæ. ijsque deinde omnia
illa subjungant; quæ Etymologiæ intelligen-
tiam continent. Itaque nominabuntur Ety-
mologistæ. Hujus ordinis præceptor, quod
illic inchoatum est, continuabit, cum scri-
bendo: tum pronunciando. Nam & altio-
re loco collocabit: quoties, quod didicerunt,
reddent: vocęque distincta atque clara effari;
literisque propriis, unumquodque notari ju-
bebit. omninoque propositum habeat; ut me-
moriam confirmet: & literaturam conser-
vet: quibuscunque rebus poterit.

DE CLASSE TERTIA.

Tertia Classis erunt; qui consecutionis
præcepta percipient: primusq; illis, quæ
ex secunda secum attulerunt, adjuvant Com-
posita sua & Derivata: ut sive exponen-
dum aliquid sit, sive regulæ alicujus facien-
dum exemplum, verborum suppetat significa-
tio & copia. Quare hoc loco præceptor, non
solum memoriæ; verum etiam ingenii vires
excitabit. Providebit enim, ne quæ vox Ci-
ceroniana ignoretur: ne constructionis regula
aliqua dubia sit: ut omnia legendo explicari
possint: ut nihil in consecutione hesitetur:
vereque appellari possint ~~plurimifera~~. Ve-
runtamen accedere oportet elementa quæ-
dam canendi; duodecima ad primam: ut
publicis quoque muneribus instituantur.

ynla x. p. 10

DE CLASSE QUARTA.

Quarta Classis accommodata illis sit, qui
iam latinam linguam consummabunt.
quos

quos idcirco Latinos nominare liceat. Ad-
dent enim simplicibus & solitariis, suas pri-
mum differentias et conversiones ex Cicerone.
Tum, quod huic deest; à reliquis desument bo-
nis authoribus Latinitatis. Omnemq; tan-
dem suppellectilem Romanam conquirent: &
receptaculis suis restituent. Neque hoc so-
lum voluminibus quibusdam fieri debebit:
verum multo magis excitatione atque usu
convertendo Ciceronem sermone nostro: ite-
rumque restituendo Latino: salva utriusque
proprietas, puritate, sensu idemque in cete-
ris faciendo: cum Latinis; tum nostris. Pro-
positum enim sit: ut bene possint loqui La-
tine.

DE CLASSE QVINTA.

QVinta Classis eos instituet: qui post-
quam satis instructi sunt à copia &
facultate Latina; deinceps ad rationis atque
orationis expolitionem proficiuntur. ut Lo-
gici dici velint. Quam ad rem, locos quos-
dam describent: quibus singulorum prae-
ceptorum

ptorum exempla colligant. Deinde similia
facient: cum hoc genere soluto, tum illo nu-
meris adstricto & colligato. Omniaque
eandem, uti actio postulabit pronuntiabunt;
voce, vultu, gestu. Ultimo, si haec me-
diocriter prestabunt: Graecae quoque linguae
rudimenta incipient; similiter ex Demo-
sthene separatas primitivis; & declinandi
conjugandiq; ediscendis formis.

DE CLASSE SEXTA.

SEXTA Classis reliqua omnia in Demo-
sthene proponet, sive simplicium, sive con-
junctorum verborum. Conamur enim nunc,
Roma Athenas proficisci: ut Latinorum no-
men mutemus in Graecorum. Iisque perce-
ptis & cognitis; aliorum libros perleget, con-
feret, vertet, custodiet: ut intelligere, ut lo-
qui, ut scribere, graecè possimus; purè & ele-
ganter. Denique recreationis & varieta-
tis cujusdam gratia, addenda erit Musica &
Arith-

Arithmeticae plena quaedam praecipio. Crevit enim iam iudicium; confirmatamque est studium discendi; ne praecipio incumbant omnia. Atque ita hoc in loco, vel etiam in priore, curriculum illorum finietur, qui progredi ad majora nolunt.

DE CLASSE SEPTIMA.

Septima atque ultima Classis, ultimum Scholarum laborem perficit. Quibus enim in locis feret occasio: explicentur praecipio & materia quaedam linguae Hebraeae; eo quo dixi modo: proponanturque elementa Geometriae & Astronomiae: ut cum perventum fuerit ad Academias: si hisce artibus otium non suppeditabit: ne sint prorsus ignari. Qui ergo artium illarum numerum, quibus praecipio esse ad majora debemus; hoc modo absolverunt: non immerito Mathematicorum nomine nuncupabo.

Expo-

Exposui P. C. ut potui breviter : quænam mihi melior forma Scholarum videatur. Sed futurum video : ut à multis reprehendar : partim quòd hæc sese jam diu scivisse dicent : partim quòd nonnulla longiore duntaxat explicatione indigerent. Quibus utrisque respondeo : neque me illis quicquam præcipere : quos doctissimos esse scio : neque minutissima hoc tempore persequi debuisse : ut illorum telis aliquid reservarem : qui contra fortasse pugnabunt. Satis enim aperte proposui, quid sentiam : omnisque, in hoc summa versatur : ut schola pietatis & humanitatis magistra sit : ut Reipub. quasi discretis generibus inserviat : ut tempestivè unumquodque absoluat : ut linguarum perceptio purissima sit : ut artium explicatio omnibus careat tenebris. Qua in sententia ; si me fefellit opinio : ingentes ei gratias habebo : qui hoc me errore liberabit. Quod si quis illa desiderat : quæ ex Cicerone atque Demosthene, itemque in lingua Hebræa colligenda esse dixi : nisi alius perfecerit : si aliquantum largiatur temporis : ut poterit, perficiam.

Quare

Quare hæc vobis sit P. C. quasi delineatio
ejus Scholæ; quam juventuti vestræ aperire
studetis. ad quam si me Rectore;
alioue peritiore, usi fueritis: tum &
hæc ipsa melius; & alia hoc
tempore prætermissa
cognoscetis.

F I N I S.



Very faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Very faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Very faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



ULB Halle

3

002 629 992



(F)

SB

2L

AB 15 44 07


VD 77



nam si ex lege hereditas: iam
ex remissione. Abrahe autem p[er] remi-
ssionem donavit d[omi]n[us]. Quid igitur legem
inter transgressionem posita est: don-
avit sem[ini] cui remissum
p[er] angelos in manu mediatoris. si-
cut autem unus n[on] est d[omi]n[us] aut[em] unus
est. Lex ergo ad usus p[ro]fusa de-
absit. Si enim data e[ss]et lex que p[ro]-
vivificare: vere ex lege e[ss]et iustitia
conclusit scriptura omnia sub peccato
ut p[ro]missio ex fide ihesu xpi dante
tentibus. *Ex. Respice domine*

Ev ia.
ultimus domino





IOACHIMI TOELEMANNI
DE OPTI
MA FORMA
SCOLARVM

h

LIBER;
AD

SENATVM
DE MINEN-
SEM.



ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandri.
Anno M. D. LXXIX.

